

Quar. 4. An anima post mortem dormiant?

ITa videtur iterum Sociniani, qui fundamentum desumunt ex textu nostro, ubi beati morientes *in cubicula* sua revocantur. Ea autem cubicula putant esse *locum silentii & oblivionis*, in infima terræ parte. Vid. Schlichting. Expos. Symboli ad illa verba: *deseendit in infernum* f. 73. Et anima *sine corpore*, inquit Smalzius Exam. Centum Error. ad errorem 81. f. 33. *nullas operationes exercere potest*. Contrà autem observandum est, quod à quiete, in oppositionem ad molestias & pericula hujus vitæ spectata, ad cessationem ab omni actu, non liceat argumentari; seu, ut ad argumentum ex *Psalm. VI, 5. 6. & Psalm. CXV, 17.* desumptum, ubi dicitur: *Mortui non confitebuntur, non laudabunt te*; respondit B. Scherzer, in Collegio Anti-Sociniano pag. 1166. à negatione actûs in Ecclesia militante ad negationem actûs in Ecclesia triumphante N. V. C. Certè enim animas quiescentes *consolationem percipere, cantare trisagion, & alia similia operari*, dictum est suprâ. Cap. II. §. 6. Optime Cicero lib. 5. de finibus. *Si quispiam ita nonaginta annos velit vivere, & cum sexaginta vixerit reliquos dormiat, ne suos quidem id velint*. Et B. Augustinus contra fabulam de somno Johannis Evangelistæ in sepulcro, non esse *consentaneum*, ait, *ut ei discipulo Jesus, quem præ cæteris diligebat, pro magno munere longum in corpore somnum donaret*. Cæterùm hanc controversiam iterum pertractatam vide ex professo apud B. Scherzerum l. c. à p. 1140. - ad 1190.

Quar. 5. An corpora morientium ita destruantur per mortem, ut non eadem numero, sed alia pro illis, reddantur in vita altera?

REsp. Negando, quia nostrum oraculum testatur, ea tantùm *in cubicula* secedere & occultari: nempe aliquando reditura